



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

12. An etiam illis qui peste infectis seruiunt?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

QVÆSTIO XII.

An etiam illis, qui peste infectis seruiunt?

Quæstionis explicatio.

QVÆSTIONIS huius occasionem præbet partim timor, partim cura & sollicitudo pastorum: Timor, ne sæpius ad eandem domum peste infectam pro ministracione huius sacramenti redire cogantur cum maximo contagionis periculo: Cura vero & sollicitudo, quia experientia cognoscunt vno peste mortuo in aliqua domo, reliquos domesticos quãtumuis robustos frequenter infici, & quantocius absque sacramentis ad aliam vitam non sine salutis discrimine migrare. Quare nõ immerito queritur, an etiam debeant talibus hoc sacramentum ministrare, an verò excusentur?

Responsio.

NON debent, imo non possunt licite ministrare: Est fidei, & colligitur clare ex verbis (a) Iacobi: *Infirmatur quis in vobis: Igitur donec quis iufirmetur, non est capax huius sacramenti.* Accedit communis vsus, & sensus totius ecclesiæ: nusquam enim legimus nec audiimus, aliquando sanis ministratum fuisse hoc sacramentum.

Præter-

a Iacob. 5.

Præterea oleum, quo hoc sacramentum perficitur, vocatur *oleum infirmorum*, ut constat ex pontificali Romano, non sunt ergo sani illo inungendi. Idem docent sacri (a) Canones, cum dicunt: *infirmum ita susceptivum esse huius sacramenti, sicuti presbyterum illius esse ministrum*: at hoc posterius ponunt ut necessarium ad substantiam sacramenti: ergo & prius. Tandem idem constat ex fine huius sacramenti; primarius enim est alleuiatio & confortatio infirmi: secundarius, restitutio sanitatis, vterque autem præsupponit hominem actu infirmari,

a c. unico. de
sacr. vnc.

Dices: Quid si seruitores dolorem capitis, vomitum, & huiusmodi symptomata patiantur, quæ pestem vel præsentem, vel vicinam prælagire solent?

R. Consulendi sunt medici; Si dubitent, fiet, ut superiore quæstione diximus.

Q V Æ S T I O XIII.

An etiam illis, qui recentem pestem contempserunt?

Quæstionis explicatio.

HOc sacramentum vocatur communiter *sacramentum exeuntium*, ut bene Dd 3 notavit